



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An plures dicantur esse Missæ de Christo, & de Sanctis & mortuis. tit. 115

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ego in eo: & propter charitatem in nobis excitādam,  
1.Corin.10. Vnus panis, &c. Et in memoriam, quod  
Christus redemit nos suo sanguine &c. Error est, sen-  
tire hic accipere remissionem peccatorum. Nam si  
manducatio sacramenti tolleret peccatum, tunc ba-  
p̄tismus, p̄oenitentia, vñctio, fruſtrā fierent, & nullus  
fornicator, odiosus, auarus, &c. deberet abstinere,  
quia ibi sumeret remissionem peccatorum, quod fal-  
sum est. Christus dicit Ioan. 6. Qui manducat me, in  
me manet, & ego in eo. Non dicit, Remissionem pec-  
catorum habebit &c. Manendum igitur est in fide &  
vnitate Catholica, sicut antecessores nostri fecerunt.

Respondeant lectorē: Cūm primō panem solum re-  
cipiunt, id est, priorem speciem, secundum ordinem,  
subiunctū calicem etiam secundum ordinem: quæri-  
tur, Quid in hoc interuallo temporis cūm sumerent  
primam speciem, acceperunt antequām altera sume-  
retur? Si in prima specie totum fuit sacramentum, id  
est, corpus, sanguis, vita, diuinitas &c. Si hoc cre-  
dunt, Ad quid sic vrgent alteram speciem, quandō si-  
mul vtraque datur? Si non accipiunt in priori specie  
totum sacramentum & corpus, ergo exangue corpus  
& solum panem, non transubstantiatum accipiunt,  
&c.

*AN PLURES DICANTVR  
esse Missæ, de Christo, & de Sanctis  
& mortuis.*

## TITVLVS CXV.

**P**RIMÒ notandum, quod solum, in re,  
id est, in opere est vna Missa, nō plures,  
sive dicatur priuata vel publica, pro vi-  
uis aut defunctis, de sanctis, Trinitate,  
Maria, Petro, Paulo, &c. pro infirmis  
& ianis, pro varijs necessitatibus, qualitercumq; no-  
men

men habuerint, semper est vna Missa: solum nomes  
mutatur propter diuersas orationes & collectas, quae  
sunt in Missa, iuxta etiam tempora & festiuitates.

Secundo: Duo sunt in omni Missa. Vnum vocata  
essentialia, alterum accidentale. Essentialia sunt pat-  
tes, quas Christus fecit in cœna, id est, consecratio,  
communicatio, & memoria passionis Christi, Luk.  
22. Hæc integrant essentialiam Missæ, & propterea di-  
citur Missa. Hæc Christi virtute & præcepto sunt,  
Hoc facite &c.

Accidentalia sunt orationes, collectæ, pro omni  
statu in mundo, pro omnibus necessitatibus, provi-  
uis & defunctis, & secundum hoc Missa nominatur,  
& varia habet nomina, id est, dicitur Missa de S. Tri-  
nitate, de beata virginе &c, pro defunctis, sed tamen  
manet & est semper vna Missa, secundum substanzia-  
lia, quæ oportet in omni Missa esse & fieri, id est, con-  
secrationem, communionem & memoriam, omnia  
ergo illa quæ in orationibus & collectis petimus, nō  
damus dignitati orationum nostrarum, sed propter  
Christum petimus nos exaudiri, qui hic præfens est,  
& viua memoria eius hic habetur, id est, corpus &  
sanguis eius. Non solum est hic memoria passionis  
Christi, sicut apud lignum crucis, aut imaginē Chri-  
sti, sed hic est viuum corpus & sanguis Christi: ergo  
Missa est viua memoria passionis Christi.

Tertiò, Non celebramus ipsis sanctis Missas, sed  
Deo ad memoriam passionis Christi, & in Missa so-  
lùm commemorationem sanctorum habemus, sicut  
August. libr. 22. de ciuitate Dei, capit. 10. docuit. Nos,  
inquit, martyribus & sanctis nostris, non sicut dijus  
edificamus ecclesiæ, altaria, aut illorum sanguinem  
offerimus, sed memoriam sanctorum facimus, eo quod  
illorum spiritus apud Deum viuunt, & quod ipsi in  
virtute sacrificij crucis Christi vicerunt mundum:  
iciunamus, feriamur, celebramus Missas DEO, non  
ipsis

ipius sanctis, qui hoc nec cupiunt, nec indigent. At solum memoriam illorum cogitantes, quantum ipsi per fidem vicerunt regna, Heb. ii. & ut nobis quoque concedatur gratia, rogamus eorum patrocinium.

Non autem una est memoria passionis Christi & sanctorum. Christi memoria agimus, veluti qui suo sanguine nos redemit, cuius virtute saluamur, qui est propitiatio in sanguine suo, Roman 3. At sanctorum memoria agitur in Missa, veluti testium, qui & hoc, quod credimus de Christo, sanguine testati sunt. Non autem eorum sanguinis fusio nos redemit, sed Christi filii, &c. Non igitur ipsis, sed Deo Missam agimus. Sic omnia alia in Missa propter Christi victimam nobis concedi permisus, &c.

*MISSAE FALSA INTERPRE-*  
*tatio per sectarios.*

## TITVLVS CXVI.

**T**RIA sunt, quae sectarij opponunt contra Missam. Primum, quia sit nouum & singulare sacrificium, quo mereamur remissionem, contra sacrificium crucis. Secundo, quod in illa sancti adorantur & inuocantur in blasphemiam Christi.

Tertio, quod res ludicra agitur cum vestimentis, ceremonijs, quando Christus sine omni vestitu simpliciter celebrauit. Ideo Missa est blasphemia Christi, & grauius peccatum, quam violare virgines.

Primo mendacium est, quod Missa sit nouum vel distinctum aut singulare sacrificium, quo mereamur remissionem & salutem, sed est solum memoria istius sacrificii, quod non meretur remissionem, sed oratio, petitio est, ut nobis condonetur remissio peccatorum propter actum crucis, Ioā. primo. Agnus Dei, &c. Hoc sacrificium crucis unicum est propitiatorium,